

Q. D. B. V.
E

41
1571. M

PHILOSOPHIA PRACTICA
De
DISTRIBUTIVA
JUSTITIA
DISSERTATIO,

1670 15

Quam
Indultu Amplissimi Collegii Philosophici
Almæ hujus Leucoræ,

22

PRÆSIDE
PRÆEXIMIO ATQVE PRÆCLARISSIMO

DN. M. GODOFREDO *Wildvogel*

Fautore ac studiorum suorum Promotore
perquam colendô,

publica ventilationi exponit

GEORGIUS CHRISTIANUS *Heusell*

Grimm: Miln:

A. & R.

die 24. Septembr.

horis antemerid:

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ

Literis MICHAELIS MEYERI. 1670.

93.



§. 1.

Quamvis de natura distributivæ Justitiæ constaret accuratiùs commutativâ simul cognitâ, contraria siquidem, ut Canon monet, juxta se posita magis dicuntur elucescere: Cum tamen utramq; hîc rimari longè foret prolixissimum, Distributivam in præsentî solummodò, quæ *διανεμητική* Græcis, & *Attributrix* Grotio vocari solet, pro virili explicabimus. Hæc verò è diametro *συμβαλλική* seu Commutativæ, tanquam speciei oppositæ, non verò simul vindicativæ, prout quidam sentiunt, opponitur. Hanc enim sub illâ jam contineri inferiùs monstrabimus.

§. 2. Hisce in antecessum monitis, definimus hanc Nostram per virtutem, secundùm quam bona vel onera communia inter eos, qui ejusdem societatis sunt membra, legitimè distribuuntur. In qua definitione tria potissimum notanda sunt, Objectum, actus & deniq; medium. Singula singillatim ordine explicabimus. *Objectum* materiale in genere sunt res, magis speciatim verò communes & quidem sub isto formali, quatenus communes sunt, utpote pecunia publica, agri ab hostibus capti, honores, dignitates præmiaq; omnia, quæ confert Respubl. nec non & onera. Notanter verò dicimus quatenus communes sunt. Eò ipsò enim quo privati rationem res communes induunt, Objectum hujus Justitiæ esse desinunt. Ita mercium importatio procul omni dubio res communis est, sed si societates quædã agunt inter se non ampliùs ut res communis ista mercium consideratur importatio, proindeq; non ad hanc, sed alteram Justitiæ speciem commutativam pertinet. Et quamvis quidam statuunt non omninò exclu-

cendas res privatas esse, posse enim quendam de suo toti civitati legare aliquid inter cives distribuendum, rem ibi privatam esse, & nihilominus ad justitiam distributivam pertinere; fieri tamen non potest, ut ad distributivam pertineat actus ejuscemodi, cum non distributio, sed nuda donatio legatum istud sit: Quæ donatio, sive facta sit divisim, sive toti indivisim, civitati perinde est. Nunquã enim comparatio meritorum personarumq; fit, nec qui legat, animi proportionaliter inter singula civitatis membra distribuendi habet. Quod si verò forsitan, ut Magistratus postea proportionaliter distribuatur, eveniat, actus planè est alius cumq; priori minimè confundendus. Cæterum non præmia solummodò eorundemq; distributio, sed & onera huc pertinent. Non quidem promiscuè omnia, sed iterum communia, quæ ratione totius communitatis omnes ferre tenentur. Nam quicquid non debetur alteri ut commune præmium, sive ut commune onus non imponitur, id non ad distributivam justitiam, sed commutativam referendum est, docente accuratissimè, Viro plurimum Reverendo atq; Excellentissimo Dn. D. Wendlero, Patrono & Præceptore æstimatissimo in Phil. pract. sect. 2. c. 10. de Justitia, Jure & æquitate. Illud saltem quæ imponenda onera adhuc notandum est, quòd bonorum ibi habenda sit ratio, quodq; pro diversitate eorundem tam mobilium, quam immobilium, quæ Reipubl. præsidio facta tecta servantur, imponi illa debeant: ut, quò quis plura eorum possideat, eò plura etiam onera ferre teneatur.

§. 3. Porro quod *Actum*, quò illa distribuuntur omnia, concernit, refertur iste vel ad illum qui distribuit, vel quibus distribuitur. Qui distribuit autem vel persona peculiaris & distincta ab accipientibus, aut distribuens simul est & accipiens. Posterius quando fit & materialiter
uterq;

1534.
iterqve respectus concurrat, circumspectè, ut Justitiam administret, agendum ipsi est: quod fit, quando nec plus boni sibi sumit, alteri minus relinquit: nec plus de malis alteri, quam sibi, tribuit. Si verò contrarium accidat & ex proæressi Diribitor minus boni sibi reseruet, alteri verò, plus quam par est, tribuat: vel plus mali sibi, alteri minus adjudicet, non statim illum injuriam sibi intulisse, hunc verò Injustitię accusari posse putandum est. Ille siquidem, quamvis Geometricam proportionem non servet, cum tamen contra voluntatem non agat, damnum quidem, minimè verò injuriam sibi ipsi fecisse intelligitur: Et alter, cum principium actionis sit extraneum, circumstantiaqve illa invitam actionem reddere possit, Injustitiã facilè absolvitur. Quod si verò Diribitor peculiaris & distincta ab accipientibus persona sit, cautè itidem procedendum est, ne distribuendo aliquid inter duos vel plures, plus uni, alteri minus, quam par est tribuat: Injuriam siquidem omninò illi inferat, cui de bono aliàs ipsi competente detraxit quippiam. Alter interim qui plus accepit, cum rursus contra voluntatem ipsius contingat, excusationem facilè meretur.

§. 4. Ne itaq; Injustitię quid irrepat, attendere probè, qui distribuit, ad *Medium* sive mediocritatem debet. In ea quippe ut omnium aliàs virtutum, ita & hujus in specie, quicquid de convenientia cum recta ratione dicant alii, formalem rationem consistere statuimus. Dividitur aliàs medium in negationis & participationis: Arithmeticum & Geometricum. Quod nos hic attendimus, non participationis est, sed negationis: Geometricum non Arithmeticum. Deprehenditur verò illud in proportione Geometrica. In quo autem exactè consistat illa proportio, variis aliàs modis circumscribere Authores solent. Nos cum accuratioribus Mathematicis dicimus, quod proportio quæ Progressio accuratius dicitur, in genere sit multitudo numerorum paulatim crescentium, & certò intervallò sese respici-

cientium: & tunc quidem Geometrica, quando inter duos proximos numeros eadem datur ratio, vel dupla, vel tripla, vel quadrupla etc. Hac itaq; proportio, uti patet, quantitatibus propriè competit, quando primus in secundo toties, quoties in quarto tertius continetur, illiusq; naturam ex professo Mathematicus tradere debet; per quandam tamen similitudinem siue convenientiam ad personas partim, partim ad res Ethicus post applicat, ostenditq;, quomodo comparandæ invicem & res & personæ sint, ut justa enascatur æqualitas. Quæ tunc datur, quando, ut se invicem personæ, ita & earum res siue præmia sint siue onera sese respiciunt. Unò verbò quemadmodum inæquales cives sunt, ita & res illis distribuendæ, inæquales sint oportet. Sic major procul dubio honor Pastori debetur Ecclesiæ, quàm ovium; major alimentorum portio Miloni, quàm pumilioni. Imò nulla potest justa esse distributio, nisi pro diversitate civium, diversa quoq; sint tum præmiatû onera. Ratio in promptu est. Si enim debentur membris, quatenus sunt membra ut supra ostensum, & sic in relatione ad totum quod constituunt, sanè & juxta proportionem & respectum, quem ad totum dicunt, tribuantur necessum est.

§. 5. Sed quæritur, si æquales, quibus tribuitur, forsitan personæ sint, an violetur tunc Geometrica proportio, nec ne? Respondet ad hoc dubium *Magirus in comment: ad Ethic: Arist. Lib. 5. c. 4.*, etiamsi distributio præmiorum, honorum, onerum rerumq; similium præcipuè pertineat ad proportionem Geometricam, tamen interdum & in his Arithmeticam æqualitatem servandam esse, quando inter æquales, qui ejusdem dignitatis & conditionis sunt, aliquid distribuendum est: tunc enim Arithmeticè æqualibus istis, æqualia etiam quàm maximè esse tribuenda. *Arist. III. Pol. 3.* fieri non posse æstimat, ut omnes in civitate cives æquales sint, quare nec obtingere ullò modò posse, ut Arithmetica æqualitas in hâc specie locum habeat. Nos præterea dicimus, quamvis usu eveniat, ut
æquales

1536.
æquales sint personæ, quæ participant, & sic eadem detur differ-
ferentia, non tamen statim Arithmeticam æqualitatem esse,
sed nihilominus manere Geometricam. Demonstrari hoc
iterum ex Mathesi potest. Docetur ibi proportionē omnē, con-
sequenter & Geometricam non in numeris specie tantum, sed
& numerò differentibus dari. Ponamus hos numeros, 4, 8: 6,
12. & alios 2, 4: 2, 4. Est utrobique proportio Geometrica. In
his verò, quamvis eadem detur differentia, non tamen desinit
esse Geometrica, sed reverà talis adhuc est, Ex accidenti namque
fit, ut æqualis intercedat differentia, neque proinde attenditur,
sed ratio unicè & continentia an toties contineatur tertius in
quarto, quoties in secundo primus.

§. 6. Cæterum ut ad æqualitatem distribuenda redigan-
tur, perpendenda & examinanda accuratissimè cujuslibet rei
æstimatio est. Alia enim est ratio pecuniarum, alia publico-
rum munerum. In pecuniis res facilis est, cum valor & æsti-
matio jam nota, proindeque colligenda solum in unam summam
est. Sed si munera publica sint, quoniam magna illorum est
disparitas, distinguenda illa sunt pro diversitate statuum: Alius
quippe status Reipubl. Aristocraticæ, alius Democraticæ etc.
est, & pro illâ diversitate munera quoque variant respectu hono-
rum emolumentorumque exinde redundantium. Ut verò æqua
nunc fiat distributio, fieri primò debet collatio personarum,
post & rerum, & ita ordinanda, ut juxta proportionem dire-
ctam eadem detur ratio rerum quæ personarum. Id est, ut cla-
rius exponamus: Quemadmodum se personam ad personam
habet respectu dignitatis & meriti, ita etiam res sese habeat u-
ni personæ tribuenda, ad rem alteri assignandam. Sint, ut ex-
emplo rem declarem, per justam distributionem floreni di-
tribuendi 24, inter duas personas dignitate diversas. Ponamus
alterum Centurionem esse, militem gregariū alterum, illumque
duplo plus quam hunc in prælio fuisse meritum. Hic quoniam
respe-

respectus & ratio, quæ intercedit inter has personas, dupla est, talis etiam ratio, dupla scilicet, præmii sit oportet: & proinde Centurioni floreni sedecim, aut octo militi gregario de jure competunt. Et æqvissimam hanc esse distributionem in propatulo est. Etenim quamvis numerò absolutè & simpliciter non acceperint æqualia, certà tamen proportione accepisse putandum est.

§. 7. Hisce nunc explicatis, satis opinamur constare de Justitiæ distributiæ naturà ejusq; mediocritate & proportione. Sed intricata hîc oritur quæstio, quidnam scilicet de irrogatione pœnarum habendum sit; numne ad Commutativam, an Distributivam referenda ea sit? Diversæ hac de re Dd. sunt sententiæ. Quidam ut *Thomas, Ludovicus Molina, Adrianus Heerebord* & alii ad neutram referunt, peculiarem tamen speciem, quæ Vindicativa ipsis dicitur, constituunt, occupatam propriè atque unicè circa pœnas infligendas: dum putant valdè eviderem affinem esse Justitiæ Commutativæ propter proportionem Arithmeticam, sed quoniam damnum non refarcit, & solum reus patitur damnò manente integrò, ideò non referri posse inter partes Justitiæ subjectivas, sed potentiales, uti vocant. Quidam simpliciter ad distributivam pœnas transcribunt in oppositione ad præmia, proportionem inibi servandam putantes Geometricam, eò, quòd mitius puniendò nobilem quam ignobilem, liberum quam servum, respectum personarum habeat. Reliqui ad utramq; pertinere asserunt, tam Commutativam quam Distributivam. Ad commutativam quidem, quia damnum & lucrum tollendo & ad æqualitatem Arithmeticam reducendo pœnã delicto exactè respondere faciat, quod Commutativæ officium sit: Distributivam verò quod pœnæ ad ea pertineant, quæ inter cives dividi possunt, aliisque delictorum generibus, alia & diversa quoque pœnarum genera irrogari soleant.

§. 8. Ve-

1538.
§. 8. Verùm enim verò hi omnes à veritate videntur ab-
ludere. Priores enim falsam fovent hypothesin, ac si omne
damnum necessariò resarciri debeat, quod tamen semper non
est necessum. Sufficit namq; ad æqualitatem reduxisse sive fiat
per subtractionem & additionem simul, sive per solam subtra-
ctionem: non secus ac linea lineæ æqualis redditur,
nunc demendo & apponendo, nunc solum demendo.
Posteriorū verò sententiarū inconvenientia ut eò magis pate-
scat, ordine demonstrabimus actum illum ad commutativam
unicè pertinere, nec ullam aliam quàm Arithmeticam propor-
tionem adhiberi, in quantumq; prætereà personarum respectu
admittendus, ne proportioni isti decedat quippiam.

§. 9. Prius itaq; disertè affirmat *Arist. 5. Eth. 2.* asserens
Commutativam versari in commerciis emendandis, quæ ite-
rum vel voluntaria sint vel involuntaria. Voluntaria recen-
set venditionem, emtionem, mutuum, sponsionem, usuram
&c. Involuntaria autem vel clandestina facit, ut furtum, adul-
terium, veneficium, lenocinium, servorum seductio, dolosa
cædes; Vel violenta, ut flagellatio, vincula, mors, rapina &c.
Consentiunt cum eodem *Thomas, Acciajulus, Sotus, Arniseus &*
alii. Ne tamen auctoritatibus pugnare videamur, certis qui-
busdam argumentis hanc nostram stabilimus sententiam. Et
initiò quidem omne quod sub Objecto distributivæ venit, com-
mune esse debet. Id est, quod distribuitur, cum totius commu-
nitatis sit, in membra ipsius dividendum est, ut omnes simul
participent & unicuiq; ideò vel conferatur vel imponatur, quia
civitatis pars vel membrum ejus communitatis est: ut sunt ho-
nores & præmia, quæ civibus pro meritis in Rempub. debentur
& alia quæ supra fuerunt enarrata. Sed hæc ad pœnas applicari
nō possunt. Neq; enim eadē de publico depromuntur neq; un-
quā civibus omnib; irrogantur. Et quib; quæ idē imponun-
tur supplicia, quia cives & Reipubl. membra sunt, uti imponi so-
lent

B

lent

7339. **l**ent onera? Ac licet qui punitur civis sit, non tamen reduplicativè illud sit, quia civis est, sed quia deliquit, quod necessariò punit Respubl: onera verò fert, qui civis & quiatalis est. 2. Quod distribuendum est naturâ prius debet esse partibus, quibus distribuitur, ita ut vel pro majori vel minori pecuniarum summâ hostibus v. g. abreptâ plus vel minus quoq; sortiantur milites: In pœnis verò irrogandis dispar planè, imò contraria est ratio. Non enim Magistratus ex facinorosis hunc patibulo, illum gladio, istum rotæ adjudicat, quod tantum pœnarum toti facinorosorum gregi destinatum sit; Quin potiùs major vel minor suppliciorum cumulus redditur, quò majora vel minora, pro quibus pœnæ sumi debent, sunt supplicia. *Vid. Hornej. Phil. moral. Lib. 3. cap. 13. num. 15. & Adr. Heerebord in exercit. Eth. 6. tit. 1. num. 8. qui pluribus hac prosequuntur*

§. 10. Hisce aliæ adhuc accedunt rationes. Quod 3. omne factum, unde quis obligatur, pro contractu habetur uti testatur Michael Ephesius in 5. Arist. ad Nicomach. quem citat *Hug. Grot. Lib. 2. c. 20. §. 2. de J. B. & P. γέγονε τρέπον ἕνεκα δόσεως καὶ λήψεως ὁ ἐστὶ τὸ συναλλάσσειν. λαβὼν γὰρ κτήματα ἢ ἄλλο ἢ κλήψας δέδωκεν αὐτῷ ἐνεύων εὐθύνας*, Idem & Legibus evincitur, utpote l. 20. ff. de judic. l. 25. §. 1. de obligat. & act. l. 52. de re judic. & c. 4. Ponamus pertinere ad distributivam justitiæ speciem, irritum foret illud juris principium: Pœnas suos sequi authores debere l. 22. C. de pœn. quod tamen est absurdum, cum liberos & hæredes, qui nihil deliquerunt, minimè puniendos expresse jubeat l. 26. ff. eod. tit. Imo quod pœnæ delinquentes sequi debeant ratio est, quod ad pœnam quilibet obligatus sit ex merito. Meritum autem quid personale est ex voluntate ortum habens, qua nihil magis nobis est proprium seu ἀυτοξέσιον, uti illam iterum supeditat *Subtilissimus Grot. Lib. cit. cap. 21. num. 12. de J. B. & P. Quem locum quoq; citat Excell. Habniius in Wesenbec. Lib. 1. Tit. 1. §. 12. qui pro nostra sententia plures maximeq; perspicuos juris*
textus

1540.
1721

textus allegat, qui expressè docent, pœnam exactè delicto re-
spondere debere.

§. 11. Ex quibus satis liquet pœnas ipsarumq; irrogationem sub distributionem cadere nullo modo posse. Restat, ut demonstremus proportionem exactè hîc servari Arithmeticam. Equidem & hîc Dd. inter se dissentiunt, dum quidam utramq; observari dicunt, nunc Geometricam, nunc Arithmeticam, sed quid de hoc sentiendum jam constabit. Alii adhibendam putant nec Arithmeticam nec Geometricam; sed Harmonicam, horum antesignanus Bodinus est, quem refutatum vide à *Grot. Lib. 2. c. 20. §. 33. & Hornejo in Phil. moral. Lib. 3. c. 12. n. 8. & seqq.* Cum quibus & nos facimus solam proportionem Arithmeticam nullo verò pacto Geometricam teneri stantes. Hæc ut eò rectiùs capiantur, monemus iterum, ipsam Arithmeticam quidem quantitibus propriam esse, quatenus numeri progredientes æquales semper servant differentias; sed huc rursus transferri per quendam similitudinem, quando dignitatem personæ non attendimus, ut secundum illam res, quæ in commutationem veniunt, adæquantur: verùm quemadmodum ibi simpliciter numerorum inter se distantias attendimus, ita & hîc medium, sive æqualitatem in solâ distantia à damno & lucro quæramus. Unò verbò res rei debet reddi æqualis. Non quidem quoad speciem, ut si quis emat calceum, alteri reddat alium calceum: nec quantitatem propriè dictam, ut si quis pannum trium ulnarum emat, vicissim det pecuniam trium ulnarum, quod esset ridiculum; Sed quâ valorem & pretium accuratè pro diversitate temporum aliarumq; circumstantiarum, antea investigandum.

§. 12. Hæc de Analogia Arithmetica prælibasse sufficiat, ostendemus nunc eò facilius, planè exulare Geometricam. Nam statuunt ipsi, quod respectus personarum eatenus admittendus, quatenus personæ majores vel minores majora quoq;

vel præmia vel onera in distributione justâ sortiuntur. Uti de Centurione & milite gregario supra fuit ostensum. Jam si personarum respectus hic quoque obtineret, sequeretur nobilem majori supplicio, propter unum idemque delictum afficiendum quam ignobilem & plebejum quempiam: Quod tamen est absurdissimum & contra mentem contra sententiam propriam.

§. 13. Porro si Geometricè procedendum, sufficeret si simpliciter, quanto majus unum delictum est altero, tanto majori quoque poena delinquens afficiatur: quod tamen minimè hic sufficit. Sint enim delicta certo gradu & ratione sese respicientia. In infligendis poenis, si Justitia administranda eadem quoque habitudo & ratio poenarum, quæ delictorum fuit, adhibenda est. Detur e.g. fornicatio, adulterium simplex, adulterium duplex, & incestus, supponaturque ratione duplâ ordine sese respicere, necessum equidem est, & poenas eadem quoque ratione sese excipere: nititurne verò illa poenarum irrogatio analogiâ geometrica? minimè. Non enim simpliciter & primariò illud fit, sed secundariò. Nam vocet aliquis in dubium, dicatque non justè impositas esse illas poenas, sese equidem ita respicere, sed negare se poenam esse convenientem, quæ imponitur fornicationi & consequenter cæteris. Quomodo quæso probabit contrarium quis? Nullo sanè modò. Videmus id propter in puniendis delictis, non conferri primùm ea inter se debere, sed simpliciter poenam adæquari delicto, & proinde æstimari quæ & quanta conveniat scortatori, quæ adultero & sic porro: Quæ ad æqualitatem redactio, quoniam simpliciter rem & rem spectat, unicè arithmetica est. Quod verò postea in collatione poenarum & flagitiorum talis reperiat gradatio, per accidens, uti patet, solum modò fit. Imo fieri aliter non poterat. Nam cum inæqualia sint delicta & primo eorum justa poena statuta, impossibile est, si justè procedendum, ut reliqua eadem quoque plectantur. Illud sic ostendimus. Vendit civium

quis

1542.
C421

quis ædes, alter fundum, arcem tertius: emtio hîc datur & venditio. In emtione quoq; & venditione medium arithmeticum servandum nemo forsitan negaverit. Conferendo interim pretia deprehendes certam eorundem rationem: Pretium nempe fundi duplo majus esse ædium pretio, arcisqve duplo fundi & consequenter ædiû quadruplo; quia & talis rerum venditarum habitudo erat & dignitas. Quis vero juxta geometricam proportionem contractus fieri dixerit? Est & manet arithmetica, reliquum uti dictum accidentarium, solummodò est. Nihil jam dicemus, quod justa quoq; sit distributio, quando quilibet, quantum meritus est non accipit, sed quantum summa distribuenda patitur: quod tamen in pœnis tantum abest ut valeat, ut injustè potiùs, qui quod meruit non accipit, puniri dicatur: Plura vide *apud Hornej. & Adr. Heereb. loc. cit.*

§. 14. Verùm contrariæ sententiæ Patroni hîc objiunt, ac magnoperè urgent respectum personarum provocandò ad quotidianam experientiam, quam Legibus prætereà corroborant. Utpote *l. 9. §. 11. ff. de pœn.* ubi, sciendum inquit, Ulpianus, discrimina esse pœnarum neqve omnes eadem pœnâ affici. Nam imprimis decuriones in metallum damnari nequeunt, nec in opus metalli, nec furcæ subjici, vel vivi exuri. Quod & multo magis confirmare ipsis videtur *l. seq. 10. cod. tit.* Urgent prætereà locum *Arist. qvi Lib. 5. cap. 5.* idem asserere videtur, quando dicit: *εἰ ἀρχὴν ἔχων ἐπάταξεν ὁ δὲ ἀπιπληγῆναι, καὶ εἰ ἀρχόντα ἐπάταξεν ὁ πληγῆναι μόνον, δεῖ, ἀλλὰ καὶ πολλαθῆναι.* Id est: Si Magistratum quis gerens percusserit, percutiendus non est: Si autem Magistratum gerentem quis percusserit, non solum repercutiendus, sed supplicio insuper est afficiendus. Ex quibus inferunt servari non solummodò in delictorum correctione analogiam Geometricam, sed & consequenter quicquid pœnarum est sub distributionem cadere.

521
1543.

§. 15. Verum non deest quod singulis reponamus. Quod enim Leges adductas concernit, prætereà quod Lex prior non tam de jure, quam gratia Principis agere videatur, alii passim exstant juris textus, qui prorsus contrarium mandant. Authoritati verò Aristotelis alium statim locum reponimus, qui priori simpliter contrariatur, quando V. Eth. 4. hæc suppeditat: εἴθ' ἐν διαφέρεσι, εἰ ἐπιεικῆς Φαῦλον ἀπέστειλεν, ἢ Φαῦλος ἐπιεικῆ. εἴθ' εἰ ἐμοί χευσεν ἐπιεικῆς, ἢ Φαῦλος, hoc est: nihil refert sive probus virtutibusque præditus malum spoliaverit, sive malus probum: neque si probus adulterium commiserit, sive improbus. Quæ cum contraria planè videantur, distinctione opus esse facile apparet. Distingunt idcirco nonnulli pœnas, putantque respectum personarum valere solummodo in pœnis arbitrariis judicisque commissis arbitrio, quæ scilicet ex qualitate personarum distinguendæ veniunt per judicem; non verò in pœnis uniformibus certâ lege statutis, in quibus distinctionem qualitatemque personarum minimè attendendam asserunt. Sed, qualiacumque delicta, qualescumque etiam pœnæ sint, ubique observari posse, imo debere putamus personarum circumstantias, an scilicet ex proæresi quis peccaverit an non? an ex imbecillitate, an deliberato consilio? per ebrietatem an sobrius? item an ingenio aliquis præditus aliàs crudeli an secus? an sapius tale quid commiserit, an non? Sub illo tamen reservato ut non considerentur amplius cetera personæ circumstantiæ, sed qualitates delictum vel aggravantes vel minuentes, Circumstantiarum enim magnam vim esse ex doctrina de principiis actionum humanarum constare potest. Quin quandoque pœnam ipsam tollere plane possunt. Prohibitum e. c. est severissimè à DEO sub capitis pœnâ homicidium. Ast si simpliciter illa accipiamus, quid quæso de bellis dicemus & præliis? Quid de moderamine inculpatæ tutelæ? quæ utique excipienda esse palàm est, Non autem absolutè, uti liquet, personarum habetur ratio, cum aliàs fru-

1549
frustra distinguerentur poenae in poenam homicidii, poenam furti, latrocinii & sic porro, sed potius pro diversitate delinquentium, ut alia poena sit homicidæ Magistratûs, alia homicidæ subditi, servi, nobilis, ignobilis & sic in cæteris: quod tamen planè dictitante ratione est inconveniens.

§. 16. Præterea & varietas poenarum pro diversis subjectis, quum multum ad rem præsentem conferat, negligenda minimè est, quoniam exinde leniorem quandoque poenam videri, non reverà esse apparet. Quod ut ostendamus supponatur duos furto rem alienam abstulisse. Sit idem utriusque sublatis pretium. Alter verò sit nobilis, ignobilis alter & rusticus: infligendæ nihilominus poenæ proportionem Arithmetica. Jam verò rustico tribuatur fustigatio, nobilis verò loco fustigationis excludatur eqviriis, aliisve ludis eqvestribus. Hic primo intuitu inæqualia quidem videntur supplicia, sed reverà non sunt, sed certâ proportionem omnino sunt æqualia. Quod enim rustico fustigatio, id nobili est ignominiosa ista exclusio. Tandem ut omne tollatur dubium, discernenda caute est delictorum æstimatio ab ipsâ poenarum inflictione: Ibi namque personarum circumstantiarumque habitudo & differentia, cum negligi non possit, Geometricâ teneri proportionem facile concedimus: at hic dispar planè est ratio, & proportio non nisi arithmetica. Non tamen dignitas personæ, quod adhuc monendum, unquam per se attenditur, sed prorsus per accidens, in quantum vel delicti vel poenæ quantitas exinde æstimari potest.

§. 17. Juxta jam dicta itaque justus Judex, jus dicere cuique potest, injuriamque alteri illatam corrigere & planè tollere, ad æqualitatem utramque partem redigendo, quod pro diversitate partium nunc detrahendo solum, nunc detrahendo & apponendo simul peragitur. Accedant duo ad tribunal, alter percussus sit & actor, reus alter & percussiens.

1545

tiens. Enormis ibi datur inæqualitas, plus qui percussit, alter qui percussus est minus habere intelligitur. Ut interim, quod sui officii est, præstet iudex, corrigere inæqualitatem istam tenetur, quod fit quando puniendo percutientem, quod plus videbatur, aufert & sic compensat injuriam illatam alteri, ne deterioris amplius conditionis ille sit, sed alteri æqualis iterum reddatur. Haud secus ac si ad æqualitatem inæquales duæ redigendæ lineæ sunt: Tunc enim illa, quæ prior alteram excedit, portio tollenda, & sic æqualis reddenda alteri, quæ minor erat antea. Et tantum hæc eno. Plura equeidem hic pertractari possent, sed quoniam præter spem destinatæ adimplentur paginæ grates immortalis Potentissimo decernentes hic subsistimus.

ADDITAMENTA.

Philosophia practica est una disciplina, Ethicam ceu partem generalem, Politicam & Oeconomicam ceu partem specialem complectens.


I.

Jurisprudentiam Philosophiæ practicæ subalternari, veritati congruum est.

II.

Jus non cadit in bruta.






Justitiæ fontes dum quæris distributivæ.
Justitiæ ut fias Præsul precor atque Sacerdos!

Gratulab. Scrib.

Vernerus Theodorus Martini,
J. U. D. & P. P.
Elect. Saxon. Consiliar.



JUSTITIAM cum defendis pro viribus, æquum
Hanc ut secteris, sic quoque JUSTUS eris.
Jhic labor: hoc opus est, quò sedulus ipse videris:
Pergas: magna feres præmia JUSTITIÆ.

Affectus singularis testandi
causâ hæc apposuit

Michaël Fridericus Ledererus,
U. J. D. & P. P.



Muselium Patrem semper complexus amore
Sum magno, civis nam fuit ille meus.


C In

1547.

In quem jam meritò Gnatus succedit amorem,
Proq; Parente mihi carus amicus adest.
Huic, dum cum magnâ conscendit laude cathe-
dram,
Gratulor, & studiis omnia fausta precor.

MICHAEL VVENDELERUS,

Philos. ac SS. Theol. Doctor, Facul-
tat. Theol. Asesor, Theol. PP.
Extraordinarius, ac Moral.
Philos. PP. ordinarius.



Avi Inuic COMMENSALIUM LEDERERIANORUM.


PRimos MEUSELI qui gressus fingis ad acrem
Iustitiam normam, suscipis Artis Opus.
Flexilis ut primum puerilia membra Curulis
Sustinet, Et recto monstrat abire pede:
Sic Tibi non vano, Stadii Dux prævia, firmat
Fallentes passus omine Iustitia.
Scilicet ostendis, quònam sis ire paratus;
Iustitiam sequeris, quò jubet, insequere.
Unanimi coeptis gratamur Voce novellis:
Adspiret Numen, detq; feratq; facem.
Protinus ut recto tendat Tua Semita Carni;
Nec Fraus decipiat Tramitis ulla Gradum.

Sic

Sic studiis cultus surges in Vota PARENTIS
Macte! probis Ausis in via nulla via est.

1548.


Eruditarum harum Thesium Auctori
applaudendi animo oblatum.



EXeris Ingenii dotes Doctissime MEUSEL
Applaudunt Musæ, plaudit & ipse Polus
Gratulor ex animo, DEUS incrementa secundet
Quo tandem Patriam condecorare queas.

Testandi affectus gratia scribebat

ENGELB. VERNUND.



Wenn die Gerechtigkeit deswegen ist zu loben
Daß nach Verdienste sie austheilet ihre Gunst/
Kan Werther billich man/durch deinen Fleiß und
Kunst
Nuch sagen daß sie Dich mit rechte hab erhoben.
Fahr ferner weiter fort Altraen so zu Ehren
So wird sie einstens Dir auch Ehr und Ruhm ge-
wehren.

Zu bezeugung seiner verbundenen Schuldigkeit
gegen den Herrn. Auch. & Resp. setzt dieses
wünschend hinzu

Hans Caspar von Nostitz/

Eq. Lusar.

E 2

Dis

1540.

Du werth-geschätzter Freund muß
ižo vielen Zeugen


wie weit dein muntre Geist in Wissenschaft wil steigē
wie endlich auf den Schweis auf vorigen Verdruß
der sich zuzeiten findet Vergnügung folgen muß./

Du weifest öffentlich wornach du hast geancfert
und wie du sonder Müh die Bücher durchgestancfert
Apollo lacht darzu; weil dein gethaner Fleiß
dich bey der Musen-Zunft durch diß zurühmen
weiß.

Welches seinen vertrauten Freunde zu Ehren
mit beyfügen wolte

Johann Gottfried Burckhart/
Hallensis Saxo.





Wittenberg, Diss., 1669-70

ULB Halle

3


002 271 419



f
5b.

VDA7







Q. D. B. V.
E

41
1870. 15

PHILOSOPHIA PRACTICA
De
DISTRIBUTIVA
JUSTITIA
DISSERTATIO,

Quam
Indultu Amplissimi Collegii Philosophici
Almæ hujus Leucorææ,
PRÆSIDE
PRÆEXIMIO ATQVE PRÆCLARISSIMO

DN. M. GODOFREDO Wildvogel
Fautore ac studiorum suorum Promotore
perquam colendò,

publicæ ventilationi exponit
GEORGIUS CHRISTIANUS Neufell
Grimm: Miln:

A. & R.
die 24. Septembr.
horis antemerid:

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ
Literis MICHAELIS MEYERI. 1670.

53.

